



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Disputatio II. De Causa in Genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

di & fecernendi metalla, possit produci verum aurum.

xxx. Respondeo posse quidem applicando activa passivis, ut ante dictum est, verisimilius tamen hucusque non productum, quidquid Delrio inquit. *Magiarum lib. 1^o. cap. 5^o.* & alii plurimi, testentur Raymundum & alios verum aurum produxisse.

xxxI. Ratio primæ partis Resolutionis est, quod ex præmissis res longè perfectiores possint ita arte produci; sed maxime, cum dæmon materiam ex qua, virtutem solis & aliorum agentium naturalium ad productionem auri concurrentium penetret, non est cur auxilio ipsius Alchymista aliquis non possit agentia varia sufficientis istiusmodi virtutis & activitatis, ita attemperare, & materiam ex qua aurum fit, applicare, ut ex ea forma auri educatur.

xxxII. Ratio secundæ partis Resolutionis est, quia in primis auxilium dæmonis, quod ad aurum conficiendum videtur in initio intervenire debuisse, est omnino fallax; quod autem intervenire debuerit videtur moraliter certum, ob occultam nimium concurrentium agentium (præsertim cœ-

lestium), naturam, & influxus ipsorum quantitatatem, ut patet ex eo, quod in materia aurum alchymiste necdum conveniant; aliqui enim lecoriam ferri, arsenicum, putamina ovorum, capillos humanum sanguinem, &c. requirunt alii, quod verisimilius est, sulphur, argentum vivum, azuria metalla & particulas aliquas sinceri auri calore fornacis resolvunt, & in tertium (quod vocant aurum) commiscunt: 2^o quia aurum hucusque confectum ignem non sustinet, colorem facile amittit, in bracteolas tenuissimas facile non ducitur, uti genuinum, ut testatur P. Telles Physicæ Diss. purat. 25. 3^o quia nullus est, cui credi debeat, qui vel confecerit, vel experietur factum ab Alchymista verum aurum, cum ab Ecclesia in extravaganti *spontant*, usus talis artis prohibeatur, & obligentur illud vendentes ad restitutionem, ad quam obligari non possent vendentes, casu quo verum aurum conficerent; quia nemini per se injuriam facerent, licet ab Ecclesia prohiberi possent, ne venderent, ob injurias quas facere possent illi, qui se verum aurum fecisse præsumerent, & non fecissent, ergo, &c.

Confirmatur utraque pars ex D. Thoma 2. 2. q. 77. art. 2^o. ad 1^{um}, ubi utramque insinuat.

DISPUTATIO SECUNDA

De Causa in Genere.

DVBIVM I.

Quid sit Causa in Genere.

Nte Resolutionem

Ante Resolutionem
I. Suppono 1^o, Patres Græcos valde frequenter, & promiscuè, uti nomine *causæ* in Divinis, juxta illud D. Thomæ 1. p. q. 33. art. 1^o. ad 1^{um}. Dicendum quod Græci utuntur in Divinis indifferenter nomine *causæ*, sicut & nomine Principii. Sed Latini Doctores non utuntur nomine *causæ*; sed solum nomine Principii; Latinos verò nomen illud in Divinis exosum habere, eo quod nomen *causæ* accipiant pro Principio communicante esse limitatum, ut constat 1^o, ex Bassarione Patriarcha Constantinopolitano citato in Florentino Sessione 12^a. cap. ultimo, ubi se excusat, quod inter Græcos nominibus *causæ* & *causati* in Divinis usus sit; quia illis usus est, ait, non ut limitationem important: 2^o ex Anselmo Epistola de Processione Spiritus Sancti contra Græcos, ubi insinuant Spiritum Sanctum non esse effectum alicujus, quia numquam incepit esse: 3^o ex S. Thoma Opusc. 1^o. cap. 1^o. ubi ait, si filius dicatur causam habere, posset intelligi, quod sub universitate creaturarum comprehenderetur. Et 1. p. q. 33. art. 1^o. ad 1^{um}. In omnibus enim *causæ* generibus semper invenitur distantia inter causam, & id cujus est causa secundum aliquam (nota limitationem) perfectionem, aut virtutem.

II. Suppono 2^o, causam in genere rectè dividi in illam, quæ sit Principium communicans esse illimitatum, quam voco causam in Divinis; & in illam, quæ sit Principium communicans esse limitatum, quam voco causam in creatis: Ratio est, quod Sancti Patres præfati solam causam juxta secundam definitionem exosam habent, & ut sic causam excludant à Divinis, ut vidimus; nec ipsi, aut ulli alii, negare possunt Patrem esse causam filii juxta

primam definitionem; quia quamcumque definitionem Principii Filii attulerint, cum illa coincidit, denique quia sic clare salvatur nomen causæ in Divinis juxta Patres Græcos, & clare excluditur cum Patribus Latinis juxta acceptionem ipsorum, quorum utrumque à Catholicis videtur fieri debere: eodem modo divides effectum in genere, videlicet in accipientem esse illimitatum, quem voco effectum in Divinis; & in accipientem esse limitatum, quem voco effectum in creatis, & juxta hanc acceptionem in Symbolo de Verbo dicitur, *genitum non factum*, quam etiam acceptionem sequuntur omnes Patres Latini negantes effectum in increatis. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

III. **D**ico: causa in genere in rigore Philosophico est Principium communicans esse rei.

IV. Probatur, quia hæc definitio convenit omni causæ, ut constat ex supposito 2^o, & excludit omne, quod non est causa; ac in primis conditiones, quia licet præsupponatur, ut esse communicetur, non tamen esse communicantem, ut fatentur omnes: deinde privationem (saltem à causa reali in genere) quæ esse non communicat, cum esse non habeat; unde ad corpus naturale in fieri non concurrat, nisi quatenus hoc partim componitur ex non esse. Dixi saltem à causa reali; quia non videtur posse excludi à causa intentionali: denique Principium in genere, quia ut tale non communicat esse, ut constat ex ejus speciebus, & puncto, quod est Principium linearæ, instanti, quod est Principium horæ, &c.

V. Obijcies cum modernis Philosophis & Theologis: hæc definitio nimium lata est, ergo, &c. I. robarur antecedens, quia juxta illam, Pater respectu filii, & Pater & Filius respectu Spiritus Sancti essent propriè dicta causa, à quo abhorrent omnes Patres Latini, ergo, &c.

Respondeo

vi. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem distinguo assumptum; quia juxta illam Pater respectu filii, & Pater & Filius respectu Spiritus Sancti essent causa proprie dicta, secundum definitionem causae in genere allatam, & ab eo abhorrent Patres Latini, nego assumptum; quia id ultro fateri debent; nec id Personis Divinis minus convenit, quam esse substantiam secundum definitionem substantiae in genere: secundum definitionem causae in specie, quae definitur principium communicans esse limitatum, & ab eo abhorrent omnes Patres Latini, concedo assumptum; verum hanc non facimus causam in genere, & causis Divinis communem, magis quam substantiam limitatam facimus substantiam in genere, & Divinis substantiis communem, ut patet ex definitione causae allata.

vii. Instabis, vel Sancti Patres Latini male reprehenderunt PP. Graecos, quod causam in Divinis agnoscerent, vel bene? sed 1^{um} nullus dixerit, ergo 2^{um} dici debet; ac proinde illa ipsa tua causae definitio, quae causam in Divinis intrudit, reprehendi debet, & à SS. Patribus Latinis reprehenditur.

viii. Respondeo Sanctos Patres Latinos bene reprehendisse Graecos, stando in vulgari acceptione nominis causae à Latinis, scilicet pro principio communicante esse limitatum; sic tamen ut stando in rigore Philosophico, quem rigorem videntur secuti Graeci, & nos etiam hic sequimur, eos non reprehenderint; quia ab eo abstraxerunt.

ix. Adde tamen Hilarium lib. 9^o. de Trin. dicere filium ex Patre causam sumere: item Augustinum libro 83^o. quæst. q. 16^a. dicere Deum esse causam suae sapientiae: & Aristotelem 12^o Metaph. cap. 2^o. nomen causae tam latè sumere, ut vocet privationem causam.

x. Vgbebis: in litteris sacrae unionis, *Dicitur filius secundum Graecos esse causa Spiritus Sancti, secundum Latinos principium, &c.* ergo, &c.

xi. Respondeo per ly *principium* ibi solum excludi causam, quae vel est limitata, vel communicat esse limitatum & imperfectum; non verò causam in genere à nobis definitam: quia tamen convenit sequi Patres Latinos, uti alii omnes, sequuntur, extra Disputationem de causa, nomine *causae* in Divinis non utaris sine addito, *In quantum causa est principium communicans esse rei*, quo sensu PP. Latini non negant causam in Divinis, sed illam dumtaxat, quae est principium communicans esse rei limitatum, quam juxta vulgarem Latinorum acceptionem, per nomen *causae* simpliciter pronuntiatum, semper intelligunt.

xii. Obicies 2^o, ex P. Thoma Comptono Disp. 18. Physic. Sect. 1^a. S. Thomas 1^a. parte quæst. 33. art. 1^o. ad 1^{um} docet propterea apud Latinos Patres non esse admissum nomen *causae* ad intra in Trinitate, quia causa importat diversitatem *substantiae* & dependentiam; & P. Vasquez 1^a. p. Disp. 131^a. ostendit ex communi sensu Patrum ly *aliud* neutraliter prolatum significare diversitatem in natura; unde Concilium Ephesinum, Toletanum & Lateranense cap. *Damnatus* admittunt in Trinitate *alium* & *aliud*, non tamen *aliud* & *aliud*, ergo, &c.

xiii. Respondeo inde tantum sequi nomen causae in specie, & quā importat diversitatem *substantiae*, esse, &c. Item quae est principium communicans esse limitatum, dependens, cum limitatione, &c. apud Latinos Patres non esse admissum. Quod

omnino hic concedimus, & solum contendimus nomen causae posse generalius accipi, nempe prout causa communis est ad causam, hoc sensu à Latinis acceptam, & alio sensu à Patribus Graecis acceptam; quomodo hic, cum de causa in genere in rigore Philosophico agamus, omnino à nobis accipienda videtur, modò alibi rigorem hunc ad sensum PP. Latinorum mitigemus. Vnde

xiv. Colliges definitiones causae in genere, ut Connimbricensium; *Causa est id à quo aliquid per se dependet*; Hurtadi, *est principium per se influens in aliud*; Arriagæ, *Causa est quae per se influit producendo essentiam*, & nonnullorum aliorum Recentiorum, *Principium cum prioritate naturae in aliud influens*: Oviedi, *Principium influens per influxum formaliter ex se defectibilem*: Poncii, *quod influit esse in aliud, quod ex natura sua posset non esse, atque adeo dependet cum imperfectione quod sibi communicat suum esse*: non esse in rigore Philosophico satis latè patentes, si aliquam includant particulam, quae ita explicetur, ut, vel ipsa causa, vel ipse effectus dicat imperfectionem vel limitationem, uti omnes isti communiter explicant; sed ut summum esse definitiones causae in specie, aut causae in genere, mitigato rigore acceptionis causae in genere ad sensum PP. Latinorum.

xv. Adde tamen 1^o, per ly *dependet*, non rectè à Connimbricensibus excludi causam in Divinis, quia est indifferens & commune ad dependere dependentiā necessariā conjunctionis, ita ut unum non possit esse sine alio, quae reperitur in Divinis (ut docet post Ruizium, Alarcon Tract. 5^o. de Trinit. Disp. 3^a. cap. 2^o.) & ad dependere dependentiā involvente imperfectionem, quae sola reperitur in creatis: 2^o per ly *aliud* in aliis definitionibus, vel intelligitur essentia ut condistincta à substantia? & hoc non, quia sic natura creata non esset causa substantiae termini, quod est absurdum: vel quaelibet essentia etiam substantiae, & sic contra suos auctores in Divinis Pater est causa filii, Pater & filius Spiritus Sancti; deinde ly *aliud* videtur significare aliquid realiter distinctum, non quidem substantiale, quia albedo & albedo tam sunt *aliud* & *aliud*, quam Petrus & Petrus, sed quodcumque; unde iterum contra suos Auctores Pater in Divinis erit causa filii, 3^o de ly *essentia* in definitione Arriagæ, idem inquire. 4^o, si ly *aliud*, *essentia*, &c. importet causam esse realiter à suo effectu distinctam, nequidem in creatis idem poterit esse causa suiipsius contra dicenda infra; quod autem PP. & Concilia numer. 12. citata, videantur negare *aliud* & *aliud* in Divinis, admittere autem *aliam* & *aliam personam*, *relationem*, &c. non ideo est, quia ly *aliud* & *aliud* dicunt duas naturas realiter distinctas; sed quia ly *aliud* simpliciter pronuntiatum, dicit in recto rem habentem alicuiusmodi naturam, quae in Divinis est natura sumptā alicuiusmodi pro relatione, quae rectè alia dicitur, sic ut rectè non dicatur alia natura: ly verò *alia persona* dicit in recto ipsam personalitatem; unde juxta dicta Concilia & Patres verum est in Divinis *alia personalitas Patris, alia personalitas filii*; falsum verò, *aliud & aliud simpliciter est in Divinis*, sicuti falsum est, *alia natura Patris in Divinis, alia natura filii*, &c.

D V B I V M II.

Qualis sit divisio causa in materialem, formalem, efficientem, & finalem.

Ante Resolutionem
xvi. Suppono, causam variè aliter dividi immediatè & adæquatè; ut

xvii. 1^o, in primam & secundam: prima est increata, quæ prima dicitur respectu omnium creaturarum, à quibus in causando non pendet; secunda est creata, quæ secunda dicitur respectu increata, à qua in causando pendet.

xviii. 2^o, in remotam sive mediatam, & proximam sive immediatam: remota est, *Quæ mediante alia causat effectum*; proxima, *Quæ per se nullà alià mediatio causat effectum*; sic essentia est causa proxima suæ proprietatis, ayus remota respectu nepotis.

xix. 3^o, in causam per se, & causam per accidens: causa per se est, *Quæ ex natura sua ordinatur ad effectum producendum*, ut ignis respectu caloris: causa per accidens est, *Cui quidem attribuitur effectus, sed ex natura sua non ordinatur ad effectum istum*, ut solis respectu thesauri inventi.

xx. 4^o, in Physicam, & moralem: Physica est, *à qua realiter & Physicè pendet effectus*; ut pater respectu filii: moralis à qua non nisi secundum prudens hominum iudicium pendet effectus, ut iudex respectu gehennæ.

xxi. 5^o, in univocam & æquivocam: univoca est, *Quæ producit effectum ejusdem secum rationis*, ut ignis respectu ignis; æquivoca, *quæ diversa*, ut ignis respectu caloris.

xxii. 6^o, in totalem sive adæquatam, & partialem sive inadæquatam: totalis alia totalitate causæ, & est, *à qua per actionem totalem dependet effectus*, ut ignis respectu caloris; alia totalitate effectus, & est, *à qua dependet totus effectus*, ut intellectus respectu intellectionis, quæ tota quidem ab intellectu pendet, sed simul etiam ab anima, vel specie, vel habitu: partialis similiter alia partialitate causæ, & est, *Quæ per partialem actionem producit effectum*, ut intellectus respectu intellectionis, &c. alia partialitate effectus, & est, *à qua pro parte tantum pendet effectus*, ut latomus respectu domus: adde tamen illam causam, quæ est totalis totalitate causæ, simpliciter dici totalem; & quæ partialis partialitate causæ, simpliciter dici partialem.

xxiii. 7^o, in subordinatam, & est, *Quæ ab ulteriores causa in agendo pendet*, ut causa creata respectu increata; habitus respectu potentia; & non subordinatam, & est, *Quæ ita non pendet*, ut increata, & principalis creata in suo ordine respectu creaturarum & instrumentalium.

xxiv. De causa principali & instrumentali commodius infra.

xxv. Suppono 2^o, causam materialem esse principium communicans esse rei sustentando; formalem informando; efficientem agendo realiter; finalem movendo & excitando intentionaliter. De quibus plura infra. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

xxvi. **D**ico 1^o, dicta divisio non est immediata, ut constat ex aliis præmissis divisionibus.

R E S O L U T I O II.

xxvii. **D**ico 2^o, dicta divisio non est in species infimas; nam efficiens dividi potest ulterius in primam & secundam; principalem & instrumentalem: item formalis in formalem spirituales & materialem; substantialem & accidentalem, & sic de aliis.

R E S O L U T I O III.

xxviii. **D**ico 3^o, dicta divisio est univoca; nam omnes habent idem nomen, & eadè ratio causæ est eis accommodata, quicquid dixerit P. Arriaga: quod verò ab Aristotele 1^o de generatione causa finalis dicatur *causa metaphorica*, non urget; quia Aristoteles ibi comparat finalem cum efficiente, qualis tantum est metaphorice: nec magis urget ratio Arriagæ, quod per causam simpliciter illam intelligamus, quæ realiter Physicè influit in effectum; quia præterquam quod id sit solum verum de causa efficiente, id omnino gratis dicitur, ut patebit consideranti definitionem causæ in genere, à nobis Dub. 10. allatam, quæ æque convenit causæ intentionali, quæ influit mediâ intentione, sive propositione objecti, ac Physicæ.

R E S O L U T I O IV.

xxix. **D**ico 4^o, dicta divisio est hoc sensu adæquata, quod nulla causa sit assignabilis, quæ ad unam ex illis non revocetur, & confirmari potest ex interrogationibus fieri solitis de effectu, *ex quo sit?* & significatur causa materialis; *per quid sit?* & significatur causa formalis; *à quo sit?* & significatur causa efficiens; *propter quid sit?* & significatur causa finalis: unde si quandoque Augustinus, aut alii, dicant, unam esse causam, causam anthonomasticè pro efficiente sumunt.

xxx. Nec dicas causam objectivam & exemplarem, dispositivam & instrumentalem ad nullam ex illis revocari: quia inprimis objectiva, si sumatur prout est objectum specificans actum, reducit ad formalem, eò quod ab omni alio actum distinguit, non secus ac forma compositum: si verò prout movet ad sui appetitionem, ad finalem; & denique, si prout objectivè ad actum concurrat, mediâ specie impressa, quam producit, ad efficientem: 2^o causa exemplaris, si formalis, id est, cognitio practica dirigens artificem ad opus faciendum, reducit ad efficientem; tum quia se habet velut ars dirigens, quæ juxta Aristotelem ad efficientem reducit; tum quia est complementum causæ efficientis, cum illam in operando dirigat, & complementum causæ pertineat ad idem genus causæ: si verò objectiva; sive interna, id est, objectum ut in representatione artificis existens; sive externa, id est, objectum ut à parte rei extra animam existens, ut imago chartacea, quam depingit pictor; reducit ad formalem, ut patet ex causa objectiva supra; causa enim exemplaris objectiva est ratio, cur artifex producat effectum talis vel talis speciei: 3^o dispositiva & instrumentalis reducit ad genus causæ, cujus causalitatem complet, ac proinde uno respectu ad unum, alio ad aliud.

DVBIVM III.

Quis sit ordo, etiam dignitatis, inter causas.

Antè Resolutionem

xxxI. Suppono ordinem inter causas esse duplicem, unum intentionis, alium executionis.

xxxII. Ordo intentionis est ordo causarum, prout sunt in intentione operantis; sic æger 1º vult sanitatem, 2º potionem præscriptam, 3º medicum; executionis verò est ordo causarum, prout sunt à parte rei extra intentionem operantis; sic æger 1º vocat medicum, 2º sumit potionem præscriptam, 3º recuperat sanitatem; ubi vides sanitatem, quæ fuit prima in intentione, esse postremam in executione, juxta hoc axioma, *Quæ sunt prima in intentione, sunt postrema in executione.* Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

xxxIII. **D**ico 1º, inter causas hic est ordo intentionis: 1º intenditur causa finalis, sive compositum: 2º forma, utpote nobilior pars compositi: 3º materia, utpote altera pars compositi: 4º causa efficiens, quæ illas conjungat & efficiat.

DISPUTATIO TERTIA

De Conditionibus ad causandum requisitis.

DVBIVM I.

An & quæ existentia causa requiratur ad causandum.

Antè Resolutionem

I. Suppono 1º. existentiam esse duplicem, unam intentionalem, sive in mente concipientis; aliam realem, sive à parte rei extra mentem concipientis; quæ realis, est etiam duplex, una causæ in se & virtute suâ simul; alia in virtute sua tantum, ut gallinæ mortuæ in ovo suo.

II. Suppono 2º. causæ existentiam in se non requiri ad causandum effectum; sed sufficere existentiam illius in virtute sua; nam ex semine planta, ex ovo pullus educitur absente causâ, à qua decisa sunt. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

III. **D**ico 1º. ad causandum finaliter requiritur existentia intentionalis causæ finalis, non tamen realis.

IV. Probatur 1ª Pars; quia causa finalis causat movendo, excitando, &c. causam efficientem; sed movere non potest nisi sit in mente mobilis; unde sit quod vocetur causa intentionalis, ergo, &c.

V. Probatur 2ª Pars; quia causa finalis non causat, quia est realiter, sed ut sit realiter: unde æger ambulat ad sanitatem consequendam, quæ realiter & à parte rei non est, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

VI. **D**ico 2º. ad causandum materialiter requiritur existentia realis causæ materialis. Ita omnes Philosophi; quos legi.

RESOLUTIO II.

xxxIV. **D**ico 2º, inter causas hic est ordo executionis: 1º ponitur efficiens, quæ basim vel materiam efficienter producat: 2º basis vel materia, quæ formam producat materialiter: 3º forma tamquam effectus causæ efficientis & materiæ, saltem in materialibus: 4º compositum, quod est causa finalis & movens ad sui executionem; ut causa finalis tamen non est ultimum in executione, ut patet, quia ut causa finalis non exequitur, sed ut compositum ex materia, forma & unione.

RESOLUTIO III.

xxxv. **D**ico 3º, inter causas hic est ordo dignitatis: 1º efficiens, quia præterquam quod Deo conveniat, cæterarum perfectionem continet, & non earum imperfectionem, quia non est pars, uti materialis & formalis; neque causat intentionaliter tantum, uti finalis: 2º, causa finalis cum formali & materiali sunt excedentia & excessiva; exceditur finis, eo quod non causat realiter, sed intentionaliter tantum, quod est ignobilius; excedit verò, quia non causat per modum partis, uti formalis & materialis; unde Deo convenit esse causam finalem, non autem esse partem materialem vel formalem: Adde tamen formalem esse dignitate priorem materiali, quia dat speciem & ultimam perfectionem; materia verò est imperfectissima.

VII. Probant varii hoc modo; quia causa materialis & formalis sunt partes intrinsecè essentielles compositi; ergo ad hoc, ut existat compositum realiter, requiritur earum existentia realis: Verum hæc probatio supponit falsum, videlicet causam materialem & formalem esse partes intrinsecè essentielles compositi, cum sint tantum extrinsecè essentielles, non secus ac fundamentum & terminus respectu relationis; imò sicuti potest dari relatio non existentibus fundamento & termino, ita potest dari compositum formaliter, non existentibus causâ materiali & formali realiter, sed intentionaliter & objective tantum, de quibus aliquid infra. Quare aliter

VIII. Probatur; quia materia realiter causat recipiendo, sustentando, &c. formam, sine influxu à se manante; sed totum quod causat realiter, debet realiter existere, vel per seipsum, vel saltem per influxum à se manantem; alioqui causæ, quæ nunquam extitissent, dici possent causare realiter, ut consideranti patebit, quod nullus admisit, ergo, &c. consequentia est legitima; minor patet, tum ex præmissis, tum ex dicendis infra.

IX. Confirmatur, tum hæc, tum sequens Resolutio: tam causa materialis, quam formalis causat mediante unione; sed unio non potest existere sine utroque extremo realiter existente, ergo, &c. probatur minor; quia unio est ultima determinatio ad uniendum duo extrema existentia; alioqui deberet per aliud determinari ad illa ut existentia unienda; de quo quæreretur, an esset ultima determinatio ad uniendum duo extrema existentia, nec nō? si sic, idem dic de unione; si nō, dabitur processus in infinitum.

Adde